


S E R M O
PANEGYRICVS
DE S. IGNATIO LOYOLA
SOCIETATIS IESV FVNDATORE

vol 2

Habitus Romæ

Ab Adm. R.^{do} Patre Fr. ALOYSIO CVRIO Romano Ord.
Minorum Seraphici P.S. Francisci de Obseruantia Theolo-
go, & Concionatore, Romanæ Almæ Prouinciae Patre,
& Generali eiusdem Ordinis Definitore.

In Templo S. Maria de Aracceli vij. Idus Aug. Anno M. DC. XLVII.




ROMAE, Ex Typographia Ren. Cameræ Apost. M. DC. XLVII.
Superiorum Permissu.

*Fr. Ioannes à Neapoli: omnis Ordinis Seraphici P. nostri Sancti
Francisci Minister Generalis, & Servus.*

Svbieatum Panegyricum Sermonem Romæ habitum tam pie, quam
stuculenter in laudem Santissimi Patriarchæ Ignatij Loyola Socie-
tatis Iesu Fundatoris per Rev. Adm. P. Fr. Aloysium Curium Romanum
Theologum, nostræ Almae Romanae Provinciæ Patrem, & Generalem
nostræ Seraphici Ordinis Definitorem, harum exemplo, quantum ad
nos attinet, mandari typis, ad maiorem Dei gloriam, libenter annui-
mus. Datum Romæ in Conventu nostro Aracelitano. Die 28. Octo-
bris 1647.

Loco & sigilli.

*Fr. Ioannes de Neapoli Ord.
Min. Generalis Minister.*



ANNO DNI M. DCXCVII. JUNI V. M. D. LXXXVII.

EMINENTISSIMO,
ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI
D. IOANNI
IACOBO
PANZIROLO,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE
Presbytero Cardinali Amplissimo.



Fr. Aloysius Curius Romanus. Felicitatem.



Ermo Panegyricus , quem habuit
superioribus diebus ad frequentio-
rem auditorum confessum de laudi-
bus Sancti Ignatij Loyolae Societa-
tis IESV Fundatoris , euolasse
iunc irrevocabiliter videbatur ex
conditione verborum , quæ loquendo proferimus ,
vnâ cum fugaci sono se se proripientium è conspectu ,
vi nusquam amplius reperiantur . Sed hunc sistere

A 2 po-

4

potuit, & revocare rursus in medium humanitas
tua, Eminentiss. Princeps, Quoniam cum Oratorem
additissimum habebas vel nutibus tuis, oratio certè,
quæ illum exprimit, aliò dirigi, quam ad te unum
non debuit, nec potuit. Si enim ego catenis qui-
busdam arctissimæ seruitutis deuinclum me Emi-
nentiae Tuæ profiteor, gloriorque, etiam partus hic
meus libenter patitur illigari sc̄ typis, ac prælo, ut
tuum præferens nomen, numerari iam in tuis re-
bus incipiat, ac dici tuus. Illum igitur, qualiscum-
què sit, amanissimo, ut assoles, excipies finu, tum
quia me eius authorem humanissimè semper excepti-
sti, tum etiam quia inter grauiores curas lecturas es
in hoc libello pietatem, amoremque meum erga
Sanctum Ignatium, eiusquè Sanctissimum Ordin-
inem, cui interesse non potuisti, dum ad Populum
declamarem. Certè mihi fieri satis, si seruitutis meæ
peregrinum hoc pignus tuo conspectu digneris. Vale,
& uid annos Nestorianos viue Princeps Eminentissime: Ex Conuentu Urbis Aracalitano die 28.
Octobris 1647.

Vecundissimum illud , pulcherrimumq; specaculum , quo (vt sacri ad posterorum memoriam transmiserunt annales) visa est Octauiano Augusto Imperatori IESV Christi infantis effigies in cœli parte conspicua , & lucidissima , Virginis matri gremio assidentis Spectaculum , inquam , illud Almæ Romæ , Vebium principi , Orbisq; Reginæ memorandum sacrosancto huic Capitolino Templo sorte felicissima nomen indidit Aracoeli : quoniam Christi liberatoris gloriam (Tyburtina , ut aiunt , insinuante Sibylla , aut Sibyllinis libris , qui hinc asseruabantur , inspeccis) vidit , atquè admiratus est Romani Princeps , ac fundator Imperij . Igitur non abs re me dicturus existimo (Eminentissimi Principes) imo sermonem videor loco accommodaturus , si Ignatij Loiolæ Illustrissimæ Societatis IESV sanctissimi Fundatoris gloriam (quam nonnisi stellarum luce descriptam per hoscedies tunc cōtemplatur in cœlo , tunc consuetis laudum præconijs , atquè præconiorum laudibus vniuersa prosequitur , ac decantat Ecclesia) Egomet inter Minores minimus cum Ordine meo Minoritico , argue Seraphico tanti amantissimus Patris , hoc eodem in loco gratulabundus , indicare vobis aggrediar .

Verum doleo , & vehementer doleo Sibyllinum decesse mihi pectus , & carmen , quo fungi pro meritis tanto munere possim , & tam arduam , ac perdifficilem solus subire , & sustinere prouinciam , cui substituere quidem optarem ex beatissimis cœli mentibus aliquam eximio heroicarum laudum argumento non imparem ; cum præsertim constet illas olim ex empireo turmatim descendisse ad percelebrem Sacrorum Ignatij ossium translatiōnem , & suauissimè præcinentes votiū interfuisse celebritati .

Equidem, ut loquar cum Aristide Sophista, nè si omnium quidem hominum ora, vocesq; possiderent, egregias, singulariter rari viri virtutes negocio facili possem recurrere, nisi celestium aliquis reuera sit orationis meæ dux, & Magister. Ipsemet Beatisimorum Patriarcha Iguatius, quos openet uerenter impluit, ad se priuilegio de cœlo, domini et Immaculatae præclarissimas eius laudes ingredientem me contemplatur. Obnubat ille aliquantis per simillimam soli sua gloria lucem, ut eam speciem inconuuentibus oculis, & non veteris alicuius Sibyllæ, sed religiosissimi Sacerdotis oraculo eruditæ huic, pia, & frequentissima spectatorum Coronæ demonstrem.

Certè, ut assequi coniectura potui, res ob Ignatio herbilè gestas attentè, ac deuorè percurrens, geminum mihi videor cardinem huiusc è laudationis statuere debere: Si videlicet ad Ignatium oratorio in ore, commune conuertant multorum Sanctorum Elogium, & præsertim Sacrorum Ordinum institutoribus, & fundatoribus accommodatum, Puisse viram illum cum diuinæ gloria querendæ, & investigandæ, cum hominum bono procurando, ac promouendo apprimè natum. Cum paucis vtrique parti, (divino Spiritu affante) fatisficerò, intelligam sanè, me vobis pro vestra urbanitate, & clementia approbantibus, tantisper super argumento proposito perorasse. Futuram Pauli Apostoli doctoris Gentium celeberrimi Sanctitatem prænunciatur us ad Ananiam de cœlo Christus, cum ad abluendum, & expiadum Sacro Baptismo hominæm (vñ lubebatur) bonus ille dicit pulus metueret, ac ex pauesceret, intentatas in Christianum nomen ab Equite perculso minas, ac prænunciatas strages cauallæ; Christus, inquam, veritatis Magister ad Saulum accedere iussit Ananiam, quoniam diuina manu foret in vas electionis illico permutandus, & sacrosanctum Iesu nomen per Orbem omnium saluti gentium portaturus. Vnde Ananas, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel. Idem prorsus enunciatum Ignatio nostro summi opere congruit, quem in apostolice vitæ institutione constat in omnibus fuisse emulatorem, atque imitatorem Pauli solertiissimum; ille enim non fecus, ac alter gentium Apostolus conuersus ad Christum, (vt verbis in simili materie utar magni

Ber-

Bernardi.) connectionis minister factus est vniuerso Mundo,
quod profecto nihil aliud fuit, quam vas electionis fieri ex luteo
terrenarum rerum pleno, ut nimis de eo dici possit, quod
in sacris litteris legitur. Vas auri solidum, ornatum omni lapide
precioso; dignissime lata, quod continebat in se, atque in mun-
dum uniuscum effundebat oleum preciosissimum: nominis letis,
de quo scripsum est: oleum effusum nomen tuum. Effusum (ait
Sanctus Bernardus) in homines, & in illos homines, qui computhe-
vanti sanguinem lumina in furore suo. Ex eo igitur temore totum
se diuinæ glorie querendæ diligentissime addixit Ignatius,
qua le perissimum tesserat distinguendum, ac discriminandum
curavit sacerdotum militem suspenditorum; eliminata penitus,
ac evanescere profana militia, subiecta ad annum propè trigesi-
num labores pugnauerat, & gloriose meruerat. Tunc
enim uero in perditioni pugna non tam miles, quam signi-
ficeruimus & dux nonnisi in Campo religiosæ virtutis, ubi diui-
na glorie fulgor, non humanæ conqueritur. In obsidione
primum Pampelonensis telorum, tormentorumq; bellicorum
sustinuit tempestatem, mox cessit in hostium potestatem vul-
neratus, quod ad ampliorem palestram, in Sanctitatis arenam
diuinus vocabatur. Quare maioris ballistæ globo percus-
sus, altera tibia minor cœladicare quidem caput, sed vt
velocior agibor, & expeditior foret veræ solidæq; virtutis ad
cursum bellii eum casus affixit, quem propitia salus ad Sancto-
rum gloriam parabat erigere. Alia itaque viuendi ratione iam
inita, ad solam sui ipsius perquendam, & comparandam vi-
ctoriam intendit animum, nouamque aggressurus altercatio-
nem, & pugnam, nouum viuis est armorum genus sumptus;
Induit enim talarem tunicam, vestemque cilicinam pro lorica,
& se sparteo fune, tanquam cingulo militari præcinxit: cœdendo,
affligendo, & mortificando corpusculo expedivit in se flagella
pro telis, inedix laborum, vigiliaeq; patientissimus, factuque
tandem non tam copiarum ductor, quam suarum arbiter ap-
petitionum, ac moderator, statuit nimis in posterum non
suarum esse patrum miles, sed ad diuinas accessit, statuit non
sibi pugnare, sed Deo, cuius tantum ex gloria nouam instituit
disciplinam vincendi. Manarent illico ab eo uberrimo, purissi-

moq; fonte tanquam riu; compresso cupiditatu; commotionumque turbidaru; assida, salutarium pœnarum spontanea, & voluntaria suscepio, honorum, graduum, ac dignitatum contemptus, & paruipensio, odium, & execratio diuinarum, studium paupertatis, exul a curis forensibus solitudo. Noua profecto hæc militia, post auspiciatissimum cruris vulnus, Ignatium exercuit suæ vite rationes principi regulæ conformantem, diuinæ amantissimum gloriz, contemptorem suæ. Nam vbi adhibitis humanæ modestiæ legibus, animi elationem generosè depresso, non amplius sequutus est superbiæ, arrogantiæ, ambitionis, fastusq; mundani vexillum, non auaritie se dedit ad opes, & diuinæ eongerendas, non hostilem ex ira sanguinem, sed conuersis in Deum curis, eo studiosè collendo vitam transegit, non quietem anauit, non ludos, aut remissionem optauit, non instruxit splendide, magnificèq; conuia, sed prosequendo debitissimis honoribus Numine, inita christiano ritu certamina adjucundum exitum, felicemque perduxit. Supra seipsum consilia, & vires in cœlum sustulit, votorum alas ad volatum perdifficilem explicauit, vni adhæsit Deo, atquè intentus in summi boni venustatem, ac pulchritudinem, ad diuinæ apice, n gloriæ cursu concito contendit. Cœpit demum Ignatius nobiliora, & solidiora tractare negotia à rebus mutationi obnoxij (vt aiebat de magno illo Cœsario Nazianzenus) translata militia, & commutata sibi aula. Mirum sanè erat, homini diuiti, & ingenuo in Aula Regis Catholici Ferdinandi tor illecebris, ac blanditijs innutrito, tam asperum, rigidum, ac seuerum deinde placuisse viuendi genus, vt sudoribus, ac laboribus, molestis peregrinationum, copia lacrymarum sacras Montis Serrati, Romæ, & Hierosolymæ ædes perdius, ac pernox resperserit, emendicato passim pane, ac frigida vicitur, protecto specum, pro fæto humum in commodis habuerit, atquè delicijs.

Vas igitur luteum prius, quò magis se ornamenti spoliauit, edipictiosius evasit, auroq; purissimo, in quod est permutatum, gemmas superinduxit inumeras, vt dignius diuinæ gloriæ deferuaret. Animi in illo demissio, ac sui ipsius contemptus, & despectio, gemma fuit præciosissima, postquam fastum

mundanum exuit, ac superbiam exarmauit omniaem^m. Nam si
 Sanctorum Virorum alij , & præsertim Seraphicus nostri Mi-
 noritici Gregis Institutio Franciscus huius virtutis instincu ,
 decedentes in nuda humo , vel in cinere decumbere volue-
 runt, post suam ad Deum conuerzionem Ignatius , tum viuens,
 tum moriens de se ita sensit abiecte , vt optaret in fimo , in ster-
 quilio se sepeliri, ubi suam quoquè memoriam tumularet, ac pe-
 nitus aboleret. O humilitas, o humilitas, libet hic exclamare
 cum Christostomo , quæ nec post mortem deficit : Sed ex al-
 tera parte relinqu humilem , destituue abiectum nequa-
 quam passus est Deus . cui semper humilium deprecatio pla-
 cuit , & humilium cordium demissio cordi fuit. Nam funere
 planè magnifico , ac triumphali Ignatum voluit efferi , ad
 cuius ossa , (vt ante dicebam) demisit de coelo rutilantium
 syderum faces , vt dum animo inter calites constituto sol ip-
 se, lampadis instar arderet , sepulso in Terra cadaueri non-
 nisi astra splendescerent , lucemq; præferrent ; quinimo dum
 alij Sacrorum ordinum Fundatores in alijs terræ partibus tu-
 muluntur , nactus est sepulchrum Romæ gloriosum Ignatius ,
 Romæ, inquam , quæ sedes honorum est , humaneq; magni-
 ficentia Scena præclara . Quam autem abiecte de se vir san-
 ctus sentiret, ostendit, cum delatum à socijs Generales us mu-
 nus , noluit in se recipere , nisi iussus à Confessorio fratre
 Theodosio , qui Romæ in Ianiculo monte ad Sanctum Pe-
 trum in monte aureo ex Minoritica Fratrum familia , quam vo-
 cant de obseruantia, antè confirmatam Societatem habebat.
 Quid verò de eius singulari castimonia , & pudicitia dicamus,
 cuius insigne quoddam accepit Ignatius non ab Angelis , sed
 ab ipsa Virginum maxima ac Regina Virginitatis M A R I A ,
 eiusq; Virginum parente, atque institutore Filio: cum ab eo tem-
 pore omnem cupiditatis impuræ scintillam in se prorsus extin-
 etam senterit, ac deinceps in carne vixerit, tanquam à carne
 se iunctus, dignus sanè ; qui inter illos recenseretur , ac numera-
 retur , quibus dictum est ab Apostolo Paulo : *Vos in carne non
 esitis, sed in spiritu, in carne enim ambulantes, non secundum car-
 nem militatis.* Idemq; confirmatum est à D. Hieronymo , cum ad
 Latam scribens de filiæ institutione , seruos Dei prænunciaret,

futuros in carne , sed sine carne . Certè in Ignatium cedit præclarum illud melliflui Bernardi præconium de Sanctis Apostolis , quos tanquam alienos prædicat , & liberos , & immunes à strepitu diabolicarum suggestionum , à strepitu carnalium desideriorum , à strepitu mundi : quare hanc magnam felicitatem exagerant idem S. Doctor concludendo exclamat , atquè exclamando concludit : *Felix anima , qua lingnas istas mundanas non exaudit , audiat licet : Sed illa multum felicior , si tamen aliqua est , cui peritus non loquuntur.* Doleo sanè me cætera (vt vellem , & iumento perè cuperem) persequi omnino non posse , quoniam quæ circumstant angustiæ temporis , numerum heroicarum virtutum adactum haud capiunt , quibus alterum vas electionis Ignatium ornauit , & locupletauit Deus eximius Artifex , & cultor animorum . Paupertatis Euangelicæ studium in illo perfectissimum fuit ex eo præferti tempore , quo sua omnia indumenta ad intimum usque amiculum deponere voluit , ijsq; mendici cuiuspiam nuditatem vestiuit : qua pia liberalitate laudaram à Christo Domino primam diuini Martini Turonensis eleemosynam superauit , de qua præclara illa vox tantilaudatoris longo seculorum decursu non desinit in Ecclesia Catholica resonare .

Martinus adhuc Catecumenus hac me ueste contextit : cui laudi (si qua similis foret de nostro Ignatio proferenda) profectò dici eodem ferè modo meritò posset :

Ignatius suis me uestibus preciosissimis contextit , sibiq; viliores , & deseriiores refernauit . Eius deinde prompta obedientia vendicat sibi meritò elogium suum præclarissimum , cuius ad aram saepissime mactauit Deo vir humillimus , atquè obsequientissimus vultur animi sui primogenita , Intellectum , & voluntatem ; quarum certè Victimarum oblatione Deo gratissima , fucunda coelitibus , atquè hominibus ipsis maximè utilis , proficia , & salutaris est . Huius virtutis vi ingentes , easq; precipuas loqui victorias capit Ignotius iuxta illud sapientis effatum : *Vir obediens loquetur victoriarum* , quoniam (vt optimè interpretatur Gregorius) dum alienæ voci humiliter subdimitur , nosmetipos in corde superamus , & hæc est victoria egregia , ò religiosi Virti , quam in Cœnobiticis claustris feliciter reportamus . Præterea , quis negare audeat , obedientiam secundam esse parentem palmarum illustriorum , &

coronarum, quæ in Christiana Religione decerpit soleant? cum mercedem obedientiæ Christi exaltatum, & sublimatum illum fuisse à Deo, atquè insignitum, & decoratum eo nomine, quod verè est super omne nomen Sanctus Bernardus agnoverit, dum sermonem, quem de bonis eaducis, & transitorijs deferendis, ac contempnendis instituit, in hæc verba prorumpit: Postremo & ipsum nomen I E S V, quod est super omne nomen, & in quo sicutur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum (Apostolo teste) obedientia remuneratio est. Itaque felicissimum exitum rerum praedclare ab Ignatio, atque ab religiosissima, & eruditissima eius Societate gestarum, absolutæ obedientiæ, quam illa serio proficitur ex fundatoris sanctissimi institutione, Deiq; in eam bonitate propitia, optimo possumus, ac debemus iure tribuere. Verum hoc perfectæ obedientiæ Sacrificium, quo Deo litauit Ignatius, eò perfectius extitit, quo maiori charitate conditum ad superos dicitur euolasse. Amor enim omnium virtutum sal à diuino Ephrem merito appellatur, nec sine amore sapere, aut vige re obedientia potissimum potest. Persuasit Ignatio amor diuinus, diuina charitas, ut ardentissimo affectu, & flagrantissimo desiderio pluries Martyrum palmas ambiret, verè dignus illo diuini Bernardi præconio: *et si non semel effectu consumata est bonis, sed series martyris suis effectu deuotissima voluntatis: Ignatio namq; sic ut & nostro Didaco Complutensi martyrij desiderio ex obedientia Canarias quondam Insulas adeunti non martyrio voluntas, sed voluntati martyrium defuit. Deo illos reseruante, ut multis Christo Iesu lucrificarent.*

Ignatiana ardentissimæ, ac flagrantissimæ charitatis præ Cœlo terram floccifacientis, illæ fuere voces centies iteratae, & millies repetitæ: *bea, bea, heu quam sordes terra, dum Cœlum aspicio.* Ardentissima Ignatiana charitas, ex orantis corde, labijsq; sanctissimis illud exprimebat multoties: *O Domine si te homines nobis.* In Ignatio resplendens diuina charitas aliquando ab alienatum à sensibus ad octauum usque diem in mētis abstractione ita continuit, exhibuitq; ut vulgo crederetur extinctus, cùm reipla viuens in eius sinu, qui vera est vita, poterat cum cœlesti sponsa dicere: *Adiuro vos, filie Hierusalem per capreas, certosq; Camporum, ne fasciatis, nequè exigitare facias dilectam, donec ipsa*

velit. Charitas denique illi animo ad interiores Cœli delicias ; & inexplicabiles voluptates fitienti, & anhelanti felicius, quam olim in fabulis Dædalus pennas applicuit, vt identidem inter precandum suspirijs ac votis, singulibus, atque gemitibus rapetur in Deum, eivsq; frui conspectu, mortalitatis exilio fatigatus, optaret: Mortem namque mortis imagine præueniens, habebat iure dicere cum Apostolo : *Miki vivere Christus est, & mori lucrum;* & : *desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo.*

Ea igitur quale, quantumue Vas electionis, quam ornatum, ac decoratum virtutibus, quasi vñionibus preciosissimis, extitit Ignatius, Auditores videtis. At quorū hic apparatus fortasse requiritis. Respondeo ego Iesu Christi ore, quemadmodum responsum de Paulo est : *Vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israël;* ideo à seculari militia conuersus ad Christum est. Vt nimirum hoc pretiosissimo, ac saluberrimo vnguento mortales vbique terrarum in infirmitate degentes ad salutem respergeret. Huic, nempe Ignatio Beatissimo, post vitale illud tibiæ vulnus, proposita Sanctorum exempla legenda animos ad res præclarè gerendas ingenerauere, immo quasi stimulum adhibaere, & calcar immensum addere lateri, vt fracto crure velocissime curreret, & in sequendis Sanctorum vestigijs minimè claudicaret. Huic corporis ægritudine laboranti Petrus Apostolorum Princeps apparens, visus quodammodo est faciosanctis clauibus Cœlotum Regnum referasse, & Terrarum orbem nonnisi dulcissimo IESV nomine inscribendum tradidisse. Huic exlitùs iniectus literarum, ac studij amor, post annum ætatis suæ trigesimum in puerorum gymnasij inter prima Grammatica rudimenta ponere tyrocinia docuit sublimis cuiuidam fælicitatis, cuius deinde specimen præbuit feracissimo mortalium bono. Huic in terris aduenæ, & peregrino ineffabilis, & incomprehensibilis illa Trinitas personarum in unitate diuinæ naturæ sui copiam fecisse videtur, vt vir literarum planè rudis de janti veritate, ac fælicitate mysterij libro piè, eleganterque conscripto fastuofæ inanum literatorum superbia, & arrogantiae silentium indiceret, & cælesti prudentia, qua ille pollebat christiane animi demissione innixa, vñà cum singulari quadam sagacitate.

citate conjuncta Lutherum , impiosq; sedatores confunderet . Huic Virgo Deispara Sacratissima inter sacras commentationes opem tulisse creditur , ac manum propemodum admouisse minium illum spiritu galiam exercitorum libellum elucubranti , cui suscepas anno christianus virtutes viri complures ad meliora conuersi , & nominatum Carolus Borromaeus Purpuratorum gloria , & Franciscus Xauerius Indiarum Apostolus Societatis tantæ splendidissimum iubar , vitæ integritatem , sanctitatem debent . Huic rem diuinam deuotissimè , vt consueuerat , audienti ostensus in hostia sacrofancta puer Iesus , tanquam Societatis institutor optimus , ac Signifer gloriofus adfuisse creditur . Huic tradita diuinitus ratio est meditandi , & contemplandi cum Magdalena , ac sedendi ad Christi pedes , Antonio , Benedicto , ac Bernardi feliciter contigit Monasticæ disciplinæ restitutoribus . Huic instructi , ac roborati viribus humeri sunt ad sacras ædes fulciendas , & sustentandas , quemadmodum olim tempore Innocentij Terrij Summi Pontificis Seraphico Patri meo Francisco Sacrofanctam Lateranensem Basilicam ruinæ iam proximani , vñâ cum magno Patriarcha Dominico proprijs humeris fulciēti . Vnde illud Bonaventuræ Seraphici Doctoris elogium : *Crucis vox hunc alloquitur , Ter dicens tu te prepara , Vade Francise reparare Domum meam , quæ labitur .* Huic denique communicata vis est Concionatores Euangelicos instituendi , ac per orbem destinandi ad fuganda vitia , & pestes , ægritudinesq; sanandas animorum . Id , quod præstiterat ante magnus ille Patriarcha Dominicus sublimissimi Reuerendorum admodum Patrum Prædicatorum Ordinis celeberrimus auctor .

Finem nonquam dicendi facerem , nisi repente orbis terrarum vniuersus , & Roma eius caput pro me rerum copia propemodum obruto ; nam reuera inopem me copia facit , luculentissimè peroraret . In Moschouiam , ait , Persidem , Dalmatiam , Libani montis plagam , Aethiopianam fructuofissimæ missiones traductæ , eglesia , insignia , celebria , singularia , ignita Ignatij opera sunt . Germania , Polonia , Gallia , Belgium , Anglia , Scotia , Hibernia , Britannia pluribus locis in fide catholica labefactata ab heresi propagnatæ , ac relcuatae , sunt dulcissimi , iucundissimi , suauissimi Ignatij fructus , quid plura ? Indias ad Orientem , atque ad Occi-

Occidentem solem sitas, locis, moribusque distitas, immo distin-
cissimas Regiones capere potuit ardentissima, & flagrantissima
Ignatij charitas, amplexari valuit amplius, ac magnitudinem
Ignatij peccus, ut ab Ethnica superstitione purgarentur, & ad
Sedem Romanam, tanquam ad eum Christi ouile deducen-
tur. Pueri Christianæ doctrinae institutionem, Adolescentes, ac
Iuuenes aperta ad variam literaturam gymnasia, morum muta-
tionem, ac pietatem corde receptram viri, erecta Romæ Gyne-
cea mulieres ad casuorem & meliorem vitæ frugem conuerse,
pias sibi domus fundatas Virginum greges, orphani, & cathecu-
meni debent. Omnia ergo linguis laudetur, qui ab omnibus
laudari possunt: quāmvis iuxta Ambrosianam sententiam,
prolixa, & superflua laudatio illa sit, quæ non queritur, sed
tenetur; peculiari nihilo feciis titulo laudetur, & extollatur;
qui omnibus omnia fieri cum Apostolo curauit; Et quotquot
Iesum non nisi per Ignatium habent, gratulentur sibi tantum
bonum, gratulentur sibi tantum bonum: Sicut & ego gaudeo
mihi, & ex animo gratulor vobis Reuerendi Admodum Patres,
& tibi præsertim Reuerendissimo Patri Vincentio Carrafe tanti
Patriarchæ Vicario, ac Successori dignissimo. At in vene-
tione, gratoq; animo Iesum ab Ignatio non disiungatis. Ego
quidem, quemadmodum in Cœlo unum esse cor contemplor
cum Ignatio vestro, Patres, Seraphicum Patrem meum Franci-
scum, ita, dum Iesu pariter, ac Francisci disciplinam profiteor,
cum vtroque etiam Ignatium deuotissime colo; peculiarem
Ignatij, atq; ordinem obseruo, & veneror ab eo institutum, cu-
ius in Scholis celeberrimi Romani huius Collegij sum adolescentis
olim ad literas, & pietatem excultus, sub eruditis, ac religiosis
præceptoribus, quorum unus Horatius Vecchius Romanus,
eius memoria in benedictione est, in Elicura Valle Regni Chi-
lensis Indiæ Occidentalis superioribus annis Illustris Christi
Martyr eius est.

Dixi pro tenuitate, atquè imbecillitate mea de eo iam satis,
pro reuerentia, obseruantia, seruitute, obsequio, obligatione,
deuotione, & affectu, ac peculiari animi propensione parum, pro
excelsissimis meritis Santissimi Patriarchæ, omni encomiorum,
atque præconiorum laude dignissimi propè nihil.

Vtiam Ignatius ipse Beatus natus, qui ex eius visum restituit, iurdis auditum, & mutis loquela, qui mortuos non semel revocauit ad vitam, qui se aenam nullis, & præsertim Sancto Philippo Neri eximio Illustrissimæ, & piissimæ Congregationis Oratori fundator videndum prebuit summe circumfusum, qui sola voce lethalem multis in peccato somnum excusit, qui in stadio virtutum pluribus exemplo præiuit, quilibore, industria, atque afflictione corporis animas diligenter quaesivit Deo, tanquam Venator optimus, Christum Iesum imitatus, qui Principes tenebrarum toties expugnauit. Ignatius ipse suo igne ardentissimo, quem in Terram Dominus misit, & voluit vehementer accendi, linguam nostram ad condignam sui laudationem instruat: crudiat, & edoceat; faciatq; cor meliorum imitationes carissimum eius sapientia, eruditio, eloquentia, atque in dicendo facundia amans, quæ suæ salutis causam ad diuinum Tribunal regere perceret, ac si clarius diceremus: (optimi Auditores) imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

D I X I.

qui inserviatur eum vel ipsi auctoritate

propositi, utique etiam inveniuntur

in aliis scriptis quibusdam

enarrantur

ad hanc sententiam in aliis scriptis

propositi, utique etiam inveniuntur

in aliis scriptis

¹⁶
ELOGIA, ET EPIGRAMMATA

in laudem Oratoris

A quibusdam humaniorum litterarum
studiosis conscripta.

ELOGIUM.

ALOYSI CVRI

Non perorasti, sed triumphasti,
Dum Ignatium laudasti eloquentia plusquam ignea,

Hoc est, Amoris eloquentia:

Cui, si viueret, nec Tullius, nec Demosthenes pares esset
Immo

Perorasti, quia triumphasti;

Pro Capitolio, Capitolinum Templum fuit,
Solum triumphale, suggestum.

Et verba suere aureæ catenæ,

Quibus

Ea Ingenia in Triumphum duxisti,
De quibus solus Amor triumphat.

Te perorante

Didicit Roma, solo Amore omnia vinci.



*De landato S. Ignatii in ade Virginis Capistrana ab Aloysio Ceric
Romano Franciscana Familia Definitore Generali.*

E L O G I V M .

I G N A T I V S

Ab igne nomen fortius

Lucem suam debet

A L O Y S I O

Romanus Oratori.

Is inter Franciscanæ familie Primores nulli secundus
nisi Pritius

Orationem de Ignatio habuit Capitolinam,

Nationum scilicet omnium concursu confusus triumphalem:

Neque enim perorare in Capitolio licuisset Aloysio,

Si carcere eloquentia palma potuisset.

Eius afflatus declamantis è Francisci cineribus

noua fax gloria assulxit Ignatio,

quam turbo extinguebat nullus.

Nam si cinerem nulla in Olympo aura peragitat.

Quis Ignati facem in ara Cœli refinguat?

Et nos quidem Ignatum terræ mandaueramus

Parenti Optimo parentati,

Tu vero Cœli aris, astrisque intulisti:

Vt qui Cœlum semper suspexerat,

tua inde eloquentia suspiceretur,

habererque tua beneficio lingua Cœli aram in terris,

Nimirum

Vnus potuit Aloysius Tarpeis rupi excubitorem adiungere

Ignatum:

Vt Hispano Cœlite ark ea seruaretur,

Quam Francisci nuditate loriciata nemo auro aut emet,

aut redimet.

Huacquum Tu Militem Romanæ arci addideris /

declamando,

Capitolio adene docnisti

non Anserem excubitorem, sed Cygnum.

Hoc taarum cui dissimilis, Aloysi,

quod Cygnus, vt bellè cecinit, diu viuere non potest,

Tu vero nobis mori non poteris,

quod dixeris bene.

Societatis I E S V voce ac voro

Candidissimi oris, animique planè

Cygnus immortalis.

ELO-

ELOGIUM.

Ignatij merita

Postquam **ingentes** fibi visque quaque platus excitarunt,

Quod vnicē sperandum supererat, cuze, Aloys, benignitatis opera

In Capitoliis denuo certe triumpharunt,

Fortunatissimum iamvero Militiae desertorem quis non inclamet Ignatum,

Dum propter posita iamdudum arma

Triumphum à Te recipit immortalem?

Meliora tamē arma non desunt: ei videlicet,

Quibus non in ferrea Vulcani, sed in aurea Sacre Palladis officina confatis

Tu ornatusime munitum nobis IESV Militiae Duxim

Produxis, Standardum

Nos planè nunc prium inuidere deficitus elapso proxime seculo felicitate suam

Clarissima Ignati facinora cōspicienti:

Tuē quippē miraculo facundiæ, ea clarus, vel imagine suspeximus orationis.

Et verò modo, si vñquam Coelum fibi Romæ propitium sensit Heros Sanctissimus,

Cum ab amico Romani Oratoris obsequio

Ignes suos, quasi tetræ Altaria satis non essent, in ipsa Coeli Ara

Tam splendide collocares incepit,

Cœlesti scilicet in Ara extingui non licet;

Quare iam tui celebritati nominis procul omni inuidia temporum eluceat.

Venit licet æternum viuax iterum signis, nihiles tamē amat

Eos vñice, quibus Franciscana paupertas preciosissimè induitur!

Illis ipse protegi gaudet, illis foodere perpetuo iungi.

Nec mirum: lucem, quam operare potuit amplissimam Ignis, post

Tuis debet Cineribus

Aloys.

Et alijs cupimus, quæ in eis cœlestes

et eternorum resurgere

Ad

**Ad Romanos, vt ad Orationem de Sancti
Ignatij laudibus audiendam
properent.**

ADHOCRATIA

*Culmina, marmoreum stellantibus admouet oris,
Qua Tarpeia caput, Turba Quirina subi,
Calectes aras, Capitolia clara triumphis,*

Hinc propria ad MARIAE magna theatra satis
Namque hic sacrificis puerabitur ara famulis, abduc
Nobilis ara, magis nobilis ignis erit.

Ipsa minister amos consuleat extra fidicis.
Suggerit (at posces) quisnam arida pabula flammis?

**En grandes Curiis concitat ore rōgōs,
Corda citi afferte hīc sacro iugulanda ministros.**

Dextrâ , arâ , hand poterunt nobiliorem mori illi gloriari.

Algunas, sibi. **Ad Exteros populos.** (Videlicet locis)

Gens ex utero poli que flamina frigida fentis;

Qui bibis **huc propria Thermodoontis aquas,**

Huc Arabes populi, huc vos festinate Sabaz, illa tunc

*Et si quem grembo barbara terra mouet,
Mihi sicut ille fuit sic tuus et triumphos.*

*Capitolina spectatis in arce triumphos
Conficitur hic. Cum iuste et cuncta ducis.*

Reddura Roma sibi est - furois reddiuua sepulchris.

Nam Curia in celso hac fede tropheca locant.

20
DE ALOYSIO CVRIO.
S. Ignatium Loyolam Cantabrum laudan-
te in Templo Sanctæ MARIÆ de
Aracœli, vbi olim Iuppiter
Feretrius. H. C. R.

etiam tunc hinc admodum
ad quinque milia milionum, ante asperitatem
Cantaber Ausonijs non ante demobilis armis
Subdidit Auguste cella superba rugo?
Ambitiosa tuas dannaras aula Feretrii
Vnicus inuidit quas ferus Aufert opes;
Scilicet Augusti laudes, orbique manebat
Dextram frenando gloria tanta parem?
Inuictos prior ille Duces, populosque subegit.
Tarpicioque tulit sercula Ibera Ioui,
Loyolæ Ducis exuiasq; simulactraquè singit
Gemmea Aloysius Dædalus eloquio.
Quod tenet Alma Patens, meliorque Feretria, templo
Infert Cantabri magna trophya Ducis
Quemque decem gemini nemoq; Capitolia lustris
Deduxit, Curi jingua Curiulis agit pudore, et ing
Augustam Curi jenitem, mundumquè Minorem
Ut regat imperio quis negat esse parem?

ALOY.

HA

ALOYSIVS DCVRIVS.

Laudans Beatum Ignatium, componi-
tur cum Curio Dentato

Romanos

EPIGRAMMA.



Ced. Aloysio Curio Dentatus: utriquè illius
Roma parens; dispar ornat utrumque decus.
Resputit ille aurum Samnitum munus; at iste
Recepit & patriæ munera larga domus.
Ille redux Martis, Cælestem hic orat ad Aram:
Ille manu, hic labris parta trophya sacrat.
Hic animos fixit lingua, gladio ille Sabinos,
Tarpeias victor venit uterque domos.
Illi victori populus sine lege Triumphum
Et male compositis vecibus occinuit.
Hic dum Loyolam laudat super Astra triumphat,
Plaudentesque habet ex Aethere Cælicolas.



DE

D E E O D E M . I A

D. Ignatij Loyolæ Laudatore.

Loyolæ extincto nati dum funera soluunt
 Astra sepulchrales exhibuêre faces.
 Labitur Ignatij in tumulum reuoluble cælum
 Astraque miratur mortis amare gelu.
 Ad vitam vt Curi, Loyolam voce reducis
 Erubuit cælum iam micuisse minus.
 Vox parit inuisa resonantia sydera luce
 Nobile & impleuit ætheris obsequium,
 Scilicet hic astris f'nebria munera soluit
 Illa dedit longos ignea facta dies.

D E E O D E M .

Hic ubi laurigeris plaudit sibi Roma triumphis,
 Et resonum festo murmure reddit ioxo
 Francisci decus, & doctæ spes inclyta Romy
 Fundis, Aloysi, Numinis ore melos.
 Hic Loyolæ laudas incendia cordis,
 Quæis Mundum dio turbine corripuit.
 Aureus est ignis, sermo flauescit in aurum,
 Quam bene nunc flammis aurea vena micat.

De Aquila Capitolij quondam inquilina,
nunc Sanctum Ignatium Loyolam
adorante.

Aligeri Regna chori, generosa nitorum
Filia, Tarpej gloria prima iugi.
Inclyta pennatis cuius deuicta triumphis
Roma premis vici solis utramque domum.
Siccine Cæsareos deponens cernua fastus
Ardet in Ignati solis alumna, faces!
Et cælo confine solum, Curiosque profundi
Oris adorata voce tonare docet.
Nunc mihi fumantis monimentum ignobile Troia
Obijce Vestales fama superba rogos:
Obijce: maiores Curio sub iudice flamas
Supplex Loyolæ in funere Roma colit:
Illam fortunæ, diuini hanc pignus Amoris;
Illam Erebum dices, hanc peperisse polum.

Ad eundem Oratorem.

Eloquio Ludouice tonas, flamasque decoras
Loyolæ recolis dum pia facta, vibras.
Etna Deo sacrata flagrat tarpeia rupes;
Hinc flamas torques ore sed innocuas.
Hanc Etnam facibus pietas impleuit amoris
Ignatique, tuo fergido igne repletas.

De Panegyrico in laudem S. Ignatij Loyolæ.

AD AVTHOREM.

Castra subis Francisce, subis Loyola profanæ.
 Miliciæ, at sacra maximi vterque Duces.
 Hunc tu sic celebras, tractas sic illius arma,
 Te decus hic credat, prædicet ille suum.
 Hic lingua, regit ille manum, cor vterque : sed huius
 Dextra loquax lingua est, lingua operosa manus.
 Quid decantatum plaudis tibi Romule vatem,
 Lingua dedit falso cui tria corda triplex?
 Viuere Francisci, Loyolæ viuere corde
 Verius hic Curius lingua, manusque docent.

A. D. E. V. N. D. E. M.

Qua noua flamarum Capitolia ad alta coruscat
 Gloria, quale Curi gliscit in ore iubar?
 Nosco faces Loyola tuas, flammâ inter amicos
 Francisci Cineres nobiliore micas.
 Quid Loyola tuas? geminat Seraphinus & ignes
 Vtroque an Curi cor sit in igne rogus?
 Es Francisce rogus, rogus est Ignatius : ambos
 Agglomerat Curius, quantus utroque calet?

A. M. D. G.